

JOURNAL
DE
MATHÉMATIQUES

PURES ET APPLIQUÉES

FONDÉ EN 1836 ET PUBLIÉ JUSQU'EN 1874

PAR JOSEPH LIOUVILLE

J. LIOUVILLE

Prix proposés par l'Académie de Berlin

Journal de mathématiques pures et appliquées 2^e série, tome 9 (1864), p. 247-248.

[<http://www.numdam.org/item?id=JMPA_1864_2_9_247_0>](http://www.numdam.org/item?id=JMPA_1864_2_9_247_0)



NUMDAM

Article numérisé dans le cadre du programme
Gallica de la Bibliothèque nationale de France
<http://gallica.bnf.fr/>

et catalogué par Mathdoc
dans le cadre du pôle associé BnF/Mathdoc
<http://www.numdam.org/journals/JMPA>

PRIX PROPOSÉS PAR L'ACADÉMIE DE BERLIN.

I.

EX PECUNIA A STEINERO INSTITUENDIS CERTAMINIBUS LITTERARIIS
LEGATA.

Quum Ill. Steinerus commentatione egregia, quæ anno MDCCCLVI in relationibus Academiæ mensuris prodiiit [*], fundamenta posuerit quibus superficierum tertii ordinis theoria geometrica superstrui potest, Academia scientiarum viros in methodis syntheticis versatos cohortatur, ut quæ a præstantissimo geometra inchoata sunt compleant atque perficiant. Quem ad finem id potissimum spectandum erit, primum ut propositionum præcipuarum demonstrationes ab ipso auctore non nisi primis lineis designatæ diligenter elaborentur; deinde ut disquisitio geometrica ad eos quoque casus nondum satis exploratos extendatur, in quibus evenit ut elementa quædam ad superficierum constructionem a Steinero adhibita non sint realia. Præterea etsi Academia non postulat, ut lineæ duplicis curvaturæ ex intersectione duarum superficierum tertii ordinis prodeuntes accuratius examinentur, tamen rem gravissimam facturum esse censet, qui hanc partem Steinerianæ doctrinæ suppleverit.

Constitutæ sunt Calendæ Martiæ anni MDCCCLXVI, ultra quas nullæ commentationes ad certamen admittentur. Addendæ sunt ex more solito commentationibus schedulæ, quæ nomen auctoris contineant, obsignatæ atque iisdem inscriptionibus, quæ commentationibus præfixæ sunt, insignitæ. Præmium, quod est DC Ioachimicorum, adjudicabitur in conventu solemniori Leibnitiano, qui habebitur mense Iulio anni MDCCCLXVI. In conscribendis commentationibus lingua uti licet sive germanica, sive latina, sive gallica.

[*] Videas etiam *Diarii Crelliani*, vol. LIII.

II.

Theoria functionum ellipticarum et Abelianarum jam in omnibus fere matheseos partibus problematum, quæ antehac difficillima videbantur, solutionem perfectam suppeditavit. Neque dubitandum est quin plura adhuc nec minus gravia ejusdem generis restent, quæ novos geometrarum conatus expectant. Quam ob rem Academia scientiarum visum est hanc publice proponere quæstionem :

Ut problema quodcunque majoris momenti, cujus argumentum ex algebra, doctrina numerorum, calculo integrali, geometria, disciplina mechanica et physica mathematica sumi potest, transcendentium ellipticarum aut Abelianarum ope absolvatur.

Constitutæ sunt Calendæ Martiæ anni MDCCCLXVII, ultra quas nullæ commentationes ad certamen admittentur. Addendæ sunt ex more solito commentationibus schedulæ quæ nomen auctoris contineant, obsignatæ et iisdem inscriptionibus, quæ commentationibus præfixæ sunt, insignitæ. Præmium quod est centum ducatorum aureorum adjudicabitur in conventu solemnī Leibnitiano, qui habebitur mense Iulio anni MDCCCLXVII. In conscribendis commentationibus lingua uti licet sive germanica, sive latina, sive gallica.
